



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

21. Comitia Imperij. Quâ de causâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

Nicolaum *Elverveldium* Chiliarcham, militiæ veteranum, Castello imponit, ac trecentorum triginta militum præsidio, novis propugnaculis, tormentis bellicis, omniq̃ Martio apparatu erepentè communit. 1663.

*Frisios* statim, & altiùs *Batavos* perculit *Id* agrè deditiois fama. Hi *Frisio* Principi exprobrant desiderati pignoris procrastinatioem; *Batavi*. *Frisones* contra accusant lentitudinem mutui, utriq̃ partium tunc sanè inopportunam. Nec ultra cunctati *Unitarum Provinciarum Ordines*, confinibus circùm præsidijs sollicitè excubias imperant, curamq̃ vigilem, ne quid per ejus speciem tentamenti *Reip.* subditus patiat. *Fortalitijs* quoq̃ vicinioribus de majore copiarum numero, deq̃ annonâ anxie prospiciunt, oculo in *Monasteriensem* tantò intentiore, quò suspectiùs erat sub idem tempus tam seriò repeti *Borculoam*.

*Christophorus Bernardus* Batavorum indignationem doctus, nec aliundè turbamenti quidquam subveritus, non minore cura ac festinatione muniebat arcem, quam invitatus ad *Imperij Comitia*, cogitabat *Ratisbonam*. Hanc *Cæsar* Urbem mense *Decembri* jam intrârat, ut qui publicæ hætenùs salutis indormire videbantur, præsens expergefaceret, atq̃ ita plures non solum Principes, sed & suppetias ex Imperio certiùs acciret. Et si

1663.

*Quâ de  
causa.*

enim causa laborantis Germaniæ non una  
Conventum hunc indixerat, potior tamen  
Bellum Turcicum fuit, quod in Transylvania  
primò natum, tunc in Hungariæ finibus ad-  
lescebat. *Christophorus Bernardus*, ut in  
hoc Cæsari obsequio gratificaretur, simulque  
ex ea Conventûs frequentatione augetet  
authoritatem, vel metum sui; atque ita con-  
tinerentur vicini, qui *Dylerianam* à se arcem  
possideri agrè intuebantur, ne quid facile ad-  
versus Principem tentarent & viribus Imperii  
innixum, & jussa Cæsaris exequentem, hanc  
voluit postremus comparere. Ne quis vero  
argueret arcem otiosè occupatam, uti ceptæ  
executionis primordia nominabat, sic eidem  
prosequendæ *Elverveldium* Chiliarcham &  
*Martellum Embslandia* Quæstorem subdele-  
gat, qui ex vectigalibus, redditibusque Frisiæ  
Principis, adjudicatum *Liechtensteinio* debi-  
tum exigant Cæsareâ autoritate.

22.

*C. Bern.  
Ratisbo-  
nam ve-  
nit.*

Ergo celebratis Monasterij Westphaliæ  
Christi natalitiis, & indictis Diocesi præse-  
lici Comitiorum successu publicè precibus  
rebusque domi tantisper compositis, in Ba-  
variam discedit. *Smisingius* Commendator,  
Baro de *Beveren*, & *Ravius*, Consiliarij; *Ne-  
gelius* Chiliarcha, & *Vredenus* Protribunus  
Aulæ præfecti; *Bissingius* Monasteriensis  
Urbis Orator, & qui à Secretis erat *Bruch-  
sius*, ad cæteros comitabantur. Pridie Idus  
Janua-